

DISSE

omif. a. v. 1783, 2

2

USU JURISPRUDENTIÆ NATURALIS

11

NECESSARIO

IN JURE POSITIVO.

QUAM

UNA CUM POSITIONIBUS EX JURE NATURÆ DEPROMPTIS

IN AULA MAJORI ACADEMIÆ ELECTORALIS

MAXIMILIANEÆ BONNENSIS

PUBLICÆ DISQUISITIONI

SUBMITTIT

FRANC. JAC. DE BREUNING, MERGENTHEIMENSIS

Juris Naturæ Auditor

ANNO DOMINI MDCCCLXXXIII.

DIE 4TA SEPTEMBRIS.

BONNAE, EX TYPOGRAPHIA ELECT. ACADEM. APUD JOAN. FRID. ABSHOVEN.

DISTILLATIONIS

et

EXTRACTI NATURAE

NECESSARIOL

ET DICTE POSITIO

Q. M. A.

DE CAVENDISHI ET DE NATURE DIPOLENTIA

ACADEMIAE ETATONIANAE

HISTORIAE MONSTRARUM

ANATOMICARUM

TOMVS III

EDITIONIS TERTIAE (BRUNNENS)

ADDITIONES ET CORRIGENDA

ADDITIONES ET CORRIGENDA

ADDITIONES ET CORRIGENDA

MATHEMATICARUM ET PHYSICARUM INSTRUMENTARUM



DISSERTATIO
DE
USU JURISPRUDENTIÆ NATURALIS
NECESSARIO
IN JURE POSITIVO.

§. I.

Jus naturale est, quod naturalis ratio inter omnes homines constituit. Diversum est ab eo Jus civile, quod unusquisque populus sibi ipse dedit, uti docet Imperator in §. I. Inst. de jure nat. gent. & civ. Ex quo iua sponte fluit a) Jus naturale esse unum; civilia vero innumera. b) Jus naturale esse aeternum, necessarium & immutabile; iura civilia mutari & posse, & saepius debere. c) Jure naturali obligari omnes & singulos homines; jure civili vero non nisi Cives illius Civitatis, cui subsunt.

§. II.

Existere Leges naturales, earumque cognitionem insignis in Jurisprudentia esse utilitatis, apud Jurisconsultos est indubitatum *). Neque minus certum est, omne jus positivum iuri naturali debere esse consentaneum. Unanimis id confirmat Jurisconsultorum Consensus, qui volunt non à Prætoris

A 2

zoris editio, vel XII. Tabulis, sed penitus ex intima Philosophia hauriendam esse juris disciplinam. CICERO de L. I. I. Stirps omnis juris est natura inquit idem l. cit. Egregium pariter est illud apud PLUTARCHUM de Stoic. rep. p. 1035: Non potest inveniri principium aliud, aut origo justitiae, quam ab iove & communis natura.

* Existentiam Legum naturalium demonstrare conati sunt GROTIUS contra Carneadem antiquum Philosophum de J. b. & p. proleg. §. 5. & seq. PUFFENDORFIUS de off. I. C. 3. §. 7. BURLAMACCHIUS Principes du droit naturel P. II. C. I. HOLLMANNUS in Jurisprudentiae nat. Syll. P. I. C. 2. FEDER in Philosophia prædicta §. 54. DE MARTINI Pst. juris nat. §. 93. Præstantiam juris naturalis in jure positivo vel maxime agnoscit MONTESQUIEU l'esprit des loix. Préface.

§ III.

Quodsi jus naturale juris omnis positivi radix & principium est; plena utique & solida intelligentia juris positivi haberi nequit, absque cognitione præceptorum naturalium. Id modo necessarium reddit usum juris nat. in jure positivo; hoc autem præsentis Dissertatione luculentius ostensum, ad tres partes materiam præsentem reducere, nobis visum est, esse convenientius, ita ut pateat usus juris naturæ. I. in legibus positivis condendis, II. in prætermissis supplendis, III. in dubitis interpretandis. Quævis partium harum aperit nobis amplissimum differendi campum. Nos ut & brevitati simul & claritati consulamus, principaliora hujus materiae capita in compendio sistere conabimur, uberiorem ejusdem elucubrationem relinquentes Viris in hac materia exercitatoribus.

Fuerunt equidem plures, qui materia hunc illustrandæ suam impenetrarunt operam, ut CHR. AUG. CRUSIUS in Inst. juris universi. Francof. & Heribp. 1761. (Vid. Leipz. gel. Zeit. 1762. N. 75.) JOAN. GEORG. ANT. BRANIUS Pr. de studio juris naturæ in jurisprudentia tum publica, tum privata summe necessario, Wurzburgi. 1744. JOAN. NEP. ENDRES Dissert. de necessario jurisprudentiae naturalis cum ecclesiastica nexu, & illius in bac usu. Wirzeburgi. 1761. Conf. Nova juris nat. historia illustr. GEORG. CHR. GERAUERI Jcti aucta ab ERICO CHR. KLEVESAHL. Weizlariae. 1774. Verum Viri hi eruditii non ita exhauserunt istam materiam, ut non plurima superflint, quæ nova dilucidatione indigantur.

PARS I.

(5)

P A R S I.

De usu juris naturæ in legibus condendis.

§. I.

Et sane hac in parte usus juris naturalis necessarius, cum ipsamet legis lativa potestas aliunde, quam ex principiis juris naturalis intelligi haud possit. Hæc enim primum innotescit ex ipsa natura & indole civitatis, ad quam homines communis securitatis ergo, confugere sunt compulsi, penitus considerata. Ex hac liquet, Civitatem absque imperio, imperium autem absque potestate condendi leges subsistere neutriquam posse, & eandem brevi iri subversam, ubi civitatis membra potestatem hanc ultra agnoscere recusant. Novissima at infausta satis genevensis revolutio hujus esto exemplum.

§. II.

Neque minus usus juris naturæ necessarius est in statuendis potestatis legislativæ limitibus, ne vel ex una parte à Legislatore in statuendis legibus committatur excessus, vel defectus ex altera. Ex quoniam enim fonte imperans cognoscere poterit, quales leges aut condere valeat, aut quales pro diversitate circumstantiarum condere expediat, ipsa ratione, æqui justique magistræ inconfusa? quomodo alias perdifficiles illæ quæstiones solvi poterunt: an imperanti licet quandoque cum danno privatorum bono communii consulere? an ei competat jus, Legum transgressores puniendi, & quibus in delictis? an & quænam peccata morte possint coerceri? millena alia in omni jure positivo, obvia hujuscemodi legum occurruunt exempla, quæ unice justitiae suæ mensuram accipere debent a summa illa, æternaque lege, quæ cordibus hominum est insita.

Licer quandoque imperanti sub certis limitibus imperium sit concessum, quibus consequenter potestatem suam attemperare debet: plurimos nihilominus necesse est, oriri casus, in quibus, quid possit, quidve debeat facere imperans ex jure naturali est decidendum. Conf. FEDERI *Philosophia practica*, P. II, §. 66.

§. III.

§. III.

Limites autem potestatis legislativæ ex sine civitatis oportet demitiri. Porro finis hujus alius esse nequit, quam communis Reipublicæ & civium salus: igitur legum conditores, omnes, quas ferunt leges, ad communem Reipublicæ Salutem, veluti ad ultimum tribunal revocent, necesse est, ut earum æquitas pateat. Praeclare hac in re more suo differit CICERO: constat, inquit, profecto ad salutem civium, civitatumque incolumentem, vitamque bonum quietam & beatam inventas esse leges: eosque, qui prima hujusmodi scita sanxerint, populis ostendisse, ea se scripturos atque laturos, quibus illi adscriptis, suscepimus honeste, beateque viverent. L.L. II. 5. Quare Constitutiones, quæ aut saluti reipublicæ, aut æternis legibus reperiuntur adversæ, turpissimæ potius corruptæ, quam leges sunt dicendæ.

Ad ista respicere neglexerunt ARCADIUS & HONORIUS in Constitutione, qua innocentibus liberis perduellum vita lenitate imperatoria concedi dicitur, quia paterno deberent perire suppicio. L. 5. cod. ad leg. jub maj. Hisce dissidentes pariter erat illa lex Sardorum, ut filii patres senio confessos clavis interinant. ELIAN. III. 38. & IV. 7. Datur igitur ante omnem legem positivam cīvilem honestum & inhonestum; erronea est ergo opinio HOBBESII omne honestum aut inhonestum a lege cīvili dependere afferentis. De Cive XIV. 10.

§. IV.

Et quamvis omnia civitatis membra legibus naturalibus æqualiter obligentur, licet eadem nulla cīvili constitutione fuerint firmatae: sunt tamen quandoque homines insensati, & æternæ salutis immemores, qui flocci faciunt, naturalia violare præcepta, in animarum suarum jacluram, dummodo nihil sit in vita hac temporali, quod opinatam eorum felicitatem perturbet. Manifesto hinc colligitur, & eas legislatori a recta ratione impositas esse parcas, ut præcepta naturalia nova sanctiōne muniat, ut ita illi, qui supremum judicem, ejusque poenas futuras haud metuant, metu saltem judicis civilis, ejusque poenarum, in officiis suis contineantur. Insolentius sane grassarentur furta, homicidia, latrocinia, & alia hujusmodi delictorum genera, iuri naturæ adversa, nisi poenis cīvilibus eadem forent munita. Quænam autem naturalia præcepta, & qualiter cīvili sanctiōne munire oporteat, aqua denus agnitionis latera ponderandum est.

§. V.

§. V.

Leges fortuitæ, quæ pro quibusdam rerum adjunctis, in commune reipublicæ commodum feruntur, pro aliis rerum circumstantiis quandoque sunt noxiæ, & in reipublicæ cedunt perniciem. Præ quingentis aliis id factis demonstrat una illa lex *de non exparteandis e territorio frumentis*. Quare naturalis æquitas, alia omni positiva regula deficiente, postular, leges hasce pro quibusdam rerum circumstantiis prudenter latas, his cessantibus, a legislatore fore moderandas, abrogandas, aut saltem, prout circumstantiæ exigunt, immutandas. Id quoque idem potest de dispensatione, cum non minus quandoque expediat, subditos quosdam lege sua solvere. Perspicuum hinc est, legislatori in condendis legibus, iisque pro diversitate adjunctionum accommodandis, jurisprudentiam naturalem utramque facere paginam, cumque a justitiae semita sepiissime debere deflectere, cuius pallus a præfulgente hoc lumine non reguntur.

Conf. DE MARTINI Posit. de jure civit. §. 88. Scheidemantels Staatsrecht. Th. I. K. V. Justi Natur und Wesen der Staaten. §. 192. FEDER. I. cit. n. 4.

§. VI.

Si autem aliquando jurisprudentia naturalis necessaria est, tum profecto id obtinet in limitibus inter potestatem ecclesiasticam, a Christo institutam, & imperium civile statuendis. Est etenim utraque hæc potestas a se invicem independens, utraque in suo ordine suprema. Duo sunt, inquit GELASIUS ad ANASTASIUM Imperat.: *Imperator augustissime! quibus hic mundus principaliter regitur: Authoritas sacra Pontificum & regalis potestas.* Nostri enī fili clementissime! quod licet præfides humano generi dignitate, rerum tamen divinarum præfulibus devota colla submittis. — Quantum ad ordinem disciplina publicæ cognoscentes imperium tibi collatum, legibus tuis parent ipsi quoque religionis antistites. Apud HARDUIN. Tom. IV. Col. 1182. Conf. DE MARCA in præf. de Concord. & imp. Cum autem in alterutra harum potestatum, ob intimum, quo alias inter se sunt copulatae, nexus emergant sepius negotia, quæ utramque potestatem concernunt; necesse hinc est, eas quandoque in lites & controversias incidere. Communi igitur opus est norma, ad quam hujusmodi negotia exigantur, quæ alia utique esse non potest, quam jus naturale, quod utriusque potestati, & omnibus gentibus est commune.

Licer

Licet enim altera ab altera sit plane independens; intimus tamen est inter utramque potestatem nexus. Infirma enim penitus foret potestas ecclesiastica, nisi brachium civile eisdem mutuaret robur suum. Viciissim absque genuinis Ecclesiae & Religionis principiis, salva non satis esset civilis potestas, ut impia MACHIAVELLI principia satis commonstrant. Necesse igitur est, inter has potestates quandoque oriri dissidia, eaque sepius orta esse, melius docent historie, quam enarrare fas est. Conf. *Dissent. JOAN. NEP. ENDR. §. III. Cap. II.*

§. VII.

Parum juvat, si opponas: diversas has potestates, Ecclesiam felicet & imperium, mutuo consensi, sibi publica pacta aut concordata constituisse, ad quorum normam negotia eorum sint tractanda, litesque dirimenda. Pacta enim hujusmodi specialia solum sunt, certas duntaxat negotiorum species concernientia, non omnes, quae in controversiam venire possunt. Sed neque possibile est, omnes casus litium futuros praevidere, multo minus eos in pactis exprimere. Quotiescumque igitur nova negotia atque dissidia, quae sane omnia evitari nequeunt, harmoniam Sacerdotium inter & Imperium perturbant, profecto haec omnia ad principia legum naturalium sunt exigenda, ut ita rebus mature ponderatis, Cæsari quid sit Cæsaris, & Deo quid Dei sit, tribuantur. Accedit, quod & ipsa pacta, si quæ inter potestates has habeant locum, omne robur suum unice juri naturali debeant.

§. VIII.

Limites autem inter potestatem ecclesiasticam & imperium facili negotio statuuntur, si utriusque potestatis ultimus finis, praevente rationis lumine, paululum adcuratius perpendatur. Finis nempe potestatis ecclesiastice est salus animarum, non solum vita hac temporali circumscripta, sed illam præcipue respiciens, quae in æternum duratura est; finis potestatis civilis est salus communis hominum in civitate unitorum. Iste omnino spiritualis est, humanam etiam excedens intelligentiam; hic vero temporalis, sola ratione cognitus. Unde & media, queis utriusque hujus potestatis finis obtinetur, plane diversa sunt. Media prioris finis obtinendi, sive præcipue actiones internæ mentis; posterioris autem sunt actiones externæ

ternae tantum, corporis. Finis hic potestatis Ecclesiastice luculenter perspicitur ex novo Testamento. *Ioan. XVIII. 26.* *Ioan. V. 39.* & *XX. 31.* Finis autem potestatis civilis ex ipsa natura & indole civitatis satis est manifesta.

§. IX.

Hisce attentius consideratis, jus naturale duas suggerit regulas, quibus utriusque dictae potestatis limites proximius videntur determinari. Potestas quidem civilis sequenti dirigitur regula: *Ad omnia ea negotia se extendit civilis potestas, que in externum civitatis commune bonum aliquaratione influunt.* Regule hujus veritas patescit inde, quod reipublica finis sit salus externa reipublica; ad ea igitur omnia se extendere debet, quæ salutem ejusdem aut promovere, aut impeditre aliquo modo possunt. Millena corollaria ex regula hac generali, sponte sua fluunt, quæ negotiis specialiter emergentibus facile queunt applicari. Regula hac veluti fundamento suo, nituntur plurima, quæ potestati civili, in Ecclesia competunt jura, veluti jus placeti regi, jus dandi exclusivam in electione Ecclesie praelatorum, jus concedendi tolerantiam, seu permittendi subditis, à vera religione alienis, liberum sacramentum exercitium, jus legem amortizationis condendi, jus urgendi legum Ecclesiasticarum observantiam, & abusus arroganti, & infinita propemodum alia, quæ omnia enarrare, instituti mei non posse ratio.

Novissimum, hujus Exemplum dedit AUGUSTISSIMUS noster IMPERATOR JOSEPHUS II. in Decreto causas matrimoniales concernente, laplo mense Martio, edito, in quo invalidos declaravit contractus matrimoniales minorennum, absque consensu parentum, & militum absque consentiu officialium suorum. Decreti hujus iustitia sequenti manifesta redditur ratiocinio: *Ad omnia ea negotia se extendit civilis potestas, que in externum civitatis commune bonum aliquaratione influunt: at contractus matrimoniales talia sunt negotia;* hujusmodi enim contractus, in quo adolescentes juvenili ardore abrepti, incaute consentiunt, Statutus matrimonialis oneribus minime ponderatis, sepissime infastissimos experientia teste, fortunatur effectus: præterquam enim, quod odia & discordias inter familias frequenter disseminent, ipsos quoque immaturos conjuges impares redundunt, aut oneribus matrimonii congrue portandis, cum ipsis eorum parentes, hisce in casibus, auxiliatrices manus soleant retrahere,

B

aut

aut prolibus fors, in tali conjugio suscepis, debite educandis & informandis, cum & ipsi adhuc informatione ac educatione non raro indigeant, quod utique in reipublicæ incommodum cedat, necesse est. Ex altera parte clarius adhuc constat, reipublicæ civili potestatem esse, eos coercendi ab ineundo matrimonio, quibus plerumque media deficitur, onera ejusdem portandi, quales & frequenter sunt milites; quibus & sequens urgentissima accedit ratio, quod milites negotiis matrimonialibus impliciti, ineptiores evadant, servitiis militaribus adimplendis, cum amore prolium sur uxoris vieti, meruant magis, vitam suam pro bono Patriæ exponere. Ex quibus præmissis manifesto sequitur, hujusmodi Decretum non tantum esse justum, sed & æquitati & bono communi esse convenientissimum. Imo non foret inconsultum, simile decretum extendere enim ad aliud ignobilius hominum genus, qui dum vix sibi alendis sufficiunt, mox ad matrimonia anhelant; quae coniungit, in gravamen reipublicæ, defectu mediorum educationis & informationis, nasci saepius homines miseris, viribus corporis & animi imbeciles, defectuosos, ad laborem ineptos, aut saltē male educatos, & ad scelerā quevis patranda, proniores vel audaciores. Diutius hic moratur, nisi metus prolixitatis urgeret progreßum.

§. X.

Altera, qua potestas Ecclesiastica circumserbitur regula, est ista: *omnia ea negotia, quæ ad salutem æternam animalium conductuunt, quæque ex Institutione Christi Ecclesia commissa sunt, ad potestatem Ecclesiasticam pertinent.* Veritas ejusdem certa redditur tum ex fine Ecclesie §. 8, tum ex textibus Evang. minime obscuris Joan. XXI. 15. Math. XVI. 18, 19. Math. XVIII. 18. Act. Apost. XX. 28. &c. Regula hæc, sicut & prior, inservit tanquam principium, ad quos casus particulares quicunque veluti fontem suum possint reduci. Ea enim generatim noscitur esse natura rationis, ut generalia prius præmittenda sint principia, ut particularia ex iis demonstrentur; sic & hic generales oportet præmittere regulas, ad quas omnia & singula specialia negotia possint revocari. Ex regula hac veluti consecutari sequitur, potestatis Ecclesiastice esse, dogmata fidei declarare, disciplinaria congruenter statuere, controversias circa bœc dirimere, ritus facios in sacramentorum Administratione adhibendos determinare &c. Conf. clar. RIEGGER Jurisprud. Eccl. P. I. Cap. VII.

Ex

EX neglegitu harum regularum limites suæ potestatis interdum transi-
luere romani Pontifices, ut in illa famosa Constat. BONIFACII VIII.
Unam Sanctam, in qua potestatem civilem romano Pontifici om-
nimode subesse assertur. *Extrav. com. de maj & ob. Cap. I.* Item
Can. 34. de Elec. ubi Electionem Imperatoris ad Rom. Pontificem per-
tinere dicitur. Quorsum & infesta pertinet sententia, quam Cardi-
nalis Julianus Vladislo Hungaria regi, ut eum ad pacem cum
Amurathe initam violandam permoveret, anno 1444 exposuit. *Cum*
infidelibus nullius omnino rei commercium inire licuit, & initum
non tenet injussu Pontificis maximi. CALLIMACH. in reb. *Vlalit.*
L. III. Vicissim & Imperatores transgressi sunt subinde & suos limites.
Exemplum hujus præbent Imperatores orientis, qui Arianos, Mono-
theletas, Iconoclastas, aliasque haereses fovere, & harum rerum cog-
nitionem ad suum forum trahere non dubitarunt. Plura de harum po-
testatum limitibus non addemus, ne in messem alienam falcam mittere
videamur.

P A R S II.

Uſus Juris naturalis in Legibus prætermisſis ſupplendis.

§. I.

Ged neque in legibus condendis tantum, jurisprudentiæ naturalis insignis
est uſus; verum & eadem minime carere valemus iis in casibus, in
quibus positivæ leges, ex quibus negotia dirimenda eſſent, deficiunt. Non
enim est, neque esse potest tanta legum positivarum copia, quæ omnes
omnino casus, qui in controvèrſiam venire posſunt, sub ſe comprehendant,
dirimantque, ſed quotidie emergunt novæ eorundem species, nunquam præ-
viſe, in nulla conſtituta lege deciſa, ut conſtant experientia comprobat. Ne-
ceſſe eſt autem, & hæc nova negotia aliquando finiri, ne fecus in immen-
ſum excrescant lites & controvèrſiæ, civitatemque ſua multitudine oppri-
mant. Recurrendum igitur hic denuo ad illud ius, quod omnem omnino
Legiflatoris positivi voluntatem antecedit, ut inde ſuppleatur id, quod in
iure positivo eſt prætermisſum, decidanturque negotia, quæ ex jure nullo
positivo decidi queunt.

B 2

Non

Non possum non hic apponere verba J. Gott. HEINECII, Jurisconsulti maxime venerandi, qui in Praefatione, quam præmitit Elementis juris civilis apposite ad hanc rem inquit: *Et quis quoſo, quātūcunq; ſtūdīo, eo adſpirabit, ut caſus, qui quandoque incederint, omnes, quidque de ſingulis rēpōnſūt, in promptu habeat? fāne ſi quis mille dēcīſiōnib; voluminib; impalluerit, nedum ſi ſyſtema ju-riſ caſib; refertissimum memoria compreñenderit: tamen id ei fer- per continget, ut mille alias q̄uæſtiones, in vita humana obvenientes, nec legerit unquam, nec memoriae mindarit.* Conf. Praefat. pag. 10. Et paſto poſt, dum demonſtravīt, omnium ſcientiarum rationem poſitam eſſe in Principiōrum debita intelligentia. *Juris-consultum.* Juxta DUARENUM, eum eſſe definiit, qui p̄ceptiōnū & Theorematū universalium, quibus ad iudicandām ex bono & iequo de ſingulis p̄paravam & informām, cognitionem ſibi ac- curatam p̄p̄verit. Nam ſingularia, que infinita ſunt, ſub mul- lā artem aut p̄ceptionem cadunt. Ex quo facile eit intelli- gere, quanti faciat vir clarissimus uſum juſis naturæ in jure po- litivo.

§. II.

Inſufficientiam iſtam legum quarumcunque poſitivarū, & iſpi legum conditores ſatis agnōvērē; ſiquidem non omnia negotia profana quotidie o- currentia, legibus civilibus queunt definiri, ait L. 10. ff. de Leg. Quoniam nulla juſ ſanctio, quantumcunque perpenſo digeſta Conſilio, ad humana naturæ variatatem, & machinationes ejus inopinabiles ſufficit, inquit JOANNES XXII. Papa in Epifola Constitutionibus clementinis præmissa. Hinc iſpi Legiſlatores ſepe hujuscemodi recursum ad leges naturales, poſiti- vis Constitutionibus deficientibus, haud obſcure ſuadent. Ita CICERO: *Hoc ſi minus jure civili p̄ſcriptum eſt, lege tamen naturæ, & communi gentium jure ſancitum eſt.* De Harusp. Cap. XIV. quocum conſentit JCtus PAULUS: *Hec, inquit, aequitas ſuggerit, licet jure civili deſtituamur.* L. 2. §. fin. dig. de aq. pluv. Idem eſt, quod intendit CAJUS L. 9. D. de J. & J. inquiens: *Omnes populi partim ſuo proprio, partim communi omnium hominum jure utuntur.* Nimirum igitur Juſ civile exaggeravit ACCURSIUS, afferens: *Omnia in Corpore juſis contineri.* ad L. 1. D. de J. & J.

§. III.

§. III.

Melius autem legum postiavarum, præcipue civilium pro singulis negotiis dirimendis insufficientia, & per consequens juris naturalis necessitas patet, ubi ad legum harum finem & subjecta paululum attentius direxerimus animum. Etenim leges civiles ad id sunt præcipue compositæ, ut dirigant negotia & actiones Civium in hunc finem, ut singularum & omnium communis felicitas habeatur. Sed neque haec Civium negotia ex solis legibus civilibus semper satis feliciter terminari queunt, cum quotidie & nova enascantur, quæ legibus civilibus determinata non sunt ut paulo ante vidimus. Subinde negotia quædam soli arbitrio æqui judicis committuntur discutienda, quæ à nulla lege possunt decidi, ut in *Contrahitibus bona fidei*, in pœna tecum *litigantium &c.* Quandoque etiam ipsa Lex statuta attentionem non meretur, cum ratio æquitatis, stricto juri semper præpondaret. Quo plus igitur leges civiles perscrutamur, eo magis denudata apparet earundem insufficiencia, quæ nisi adjuvaretur per Jurisprudentiam naturalem, nulla unquam perfecta hominum, in civitate collectorum, salus possit obtineri.

§. IV.

Subjecta vero legum civilium illi solum constituant homines, qui se esse libere aliquando Imperio subjecerunt; nequaquam autem Civitatum Rectores seu Imperantes Legibus hisce subsunt. Igitur neque horum Obligationes & Jura ex jure civili oportet determinare, prout in eis judicarunt quidam juris romani Interpretes, qui inde Jura Imperantium in ferendis Legibus, sanctiendas pœnis, & exigendas tributis estimari voluerunt. Obligationes igitur & Jura omnia Imperantium, quæ nullo speciali pacto definita sunt, unicè ex Jurisprudentia naturali sunt discenda. Licet enim Imperantes civiles nullam humanam potestatem Superiorem agnoscent; subjecti tamen sunt supremo Numini, cuius leges nequaquam contemnere audent; pœnasque viæ futuræ, si Rempublicam male administrarent, evadere nequeunt, quamvis ab omni pœna civili sint immunes.

§. V.

Sed neque civitas una alterius legibus est subjecta, verum omnes inter se primæva adhuc utuntur libertate. Necesse est autem, ob commerciorum præcipue, aliaque negotia, oriri quandoque inter eas controversias. Haec ex jure civili, cui illæ civitates subjectæ non sunt, nequeunt dirimi.

Neque

Neque æquum foret, semper martem harum controversiarum arbitrum statuere, easque sanguine tot innocentum suffocare. Mitiore igitur norma hic opus est, ad quam hujuscemodi controversiae exigantur: alia aut non superest, quam Jurisprudentia naturalis, seu Jus gentium universale: ad hoc igitur veluti ad supremum judicem ultimato appellemus, causamque decidendam adferamus necesse est. Huc denique & illæ quæsiones sunt revocandæ; an liceat aliquando uni civitati contra alteram, jus suum armis perseQUI, & quibus in casibus? Quodnam bellandi genus liceat adoptare? & sexcentæ aliae, quæ utique non aliter, quam ex jurisprudentia naturali belli, pacisque moderatrice resolvi queunt.

Merito arguuntur a supra laudato JOA. GOTTE. HEINECCIO illi juris romani Glossatores, qui in juribus pacis, belli, foederum & legatorum Titulos de captiis, de veteranis, de testamento militari, tum de pactis, de transactionibus & legationibus consulendos duxerant, quique ex L. 9. ff. de lege rbodia de jactu, Imperatorem mundi Dominum esse colligebant, in præf. ad Elem. jur. nat.

§. VI,

Frustra quis queret refegium in eo, quod civitates per publica pacta, jura sibi constituerint, juxta quæ controversiae oriri solite possint dirimi. Nam pacta hæc solum particularia sunt, quæ definiendis quibusvis speciebus obvenientibus minime sufficiunt. Imo potius novas quotidie inter civitates & regna conspicimus excitari discordias, quæ in funestissima bella non raro degenerant. De pactis usque adeo sæpe ipsis controvertitur, an ea adimplendi certis in casibus sit obligatio, prout sæpius experimur. Generaliora igitur principia, ex jure naturæ deprompta, habeamus oportet, juxta quæ pacta ineunda ac declaranda, bella finienda; ex quibus singulæ denique controversiarum species facile terminari queant, ut nihil supervisit, quod bonum civitatis interius, exteriusque perturbare valeat.

§. VII.

Sunt denique & innumeri alii homines, qui extra omnem civitatem in societatis quibusdam minoribus vivunt, nullum commune imperium agnoscentes, in quo statu & nationem nostram TEUTONICAM aliquando vixisse, historia proditum est. Cum autem hominibus, in simili statu vi-

venti-

Venibus, leges positivæ desint, quies actiones suas accommodare teneantur: maxime est, eos aliam normam, juxta quam actiones & negotia sua exigere potuerint, non habuisse, quam æquitatem naturalem. Plures etiam homines, ante omnem civitatis notitiam, sola hac æquitate ductrice, sicut felicem eglise vitam, dubitari nequit.

§. VIII.

Id, quod ostendimus, præstare jus naturale in supplendis legibus positivis civilibus, id non minus sane præstat in jure ecclesiastico. Non enim omnia agenda sibi determinavit summus legislator CHRISTUS in suo testamento, sed plurima adhuc determinanda reliquit suæ Ecclesie. Sed neque Ecclesia per constitutiones suas, quæ in corpore juris ecclesiastici continentur, ita omnia exquisite definivit, ut nihil superfit in futurum definendum; quin potius videmus & in Ecclesia, ex dubiis hinc inde S. Scripturæ textibus exoriri lites, hic grassari abusus, illic perversa, & a Spiritu Ecclesiæ aliena dogmata procudi. Manifesto hinc colligitur, potestatis ecclesiasticæ esse, recta ratione semper faciem præferente, textus dubios declarare, abusus tollere, hæreses proscribere, litesque omnes circa Religionis negotia exortas dirimere, omniaque suplere, quæ in legibus ecclesiasticis prætermissa sunt.

P A R S III.

Usus juris naturalis in legibus dubiis interpretandis.

§. I.

Contingit quandoque, legem à Legislatore justissime latam, ab iis, quorum est, eam custodire, non clare satis quoad omnem partem intellegi, eo quod in verbis, aut sententiis ejusdem lateat obscuritas, aut saltem, quos casus sub se comprehendat, ambigatur. Tum profecto ex alio fonte verus legis sensus nequit cognosci, quam ex illa communi norma, quæ legum conditores dirigere debet, ut justa decernant. Absurdum etenim foret, leges secundum rectam rationem conditas, in sensu a recta ratione alieno velle intelligere.

§. II.

§. II.

Frustra sane in legum Glossatoribus & Commentatoribus quæritur ars, leges debite intelligendi & interpretandi, siquidem eorum plurimi, utpote veris jurisprudentiae naturalis principiis destituti, ineptis suis interpretationibus, præstantissimam legum scientiam exosam reddidero & abjectam. *Inspicite*, inquit PERIZON de usu græc. & rom. ling. *Glossas & interpretamenta Doctorum*, qui antequam humaniores litteras & squalore & situ se emergerent, floruerunt, &, si potestis, rizum tenete ad errores ita absurdos sepe, & ineptos, ut nihil supra. Conf. HEINECCI Præf. ad Elem. jur. civ. Tutiorem igitur ingrediamur semitam oportet, quia mala hæc, quæ dictis Glossatoribus evenierint, evitare, & securè penitus metam nostram valeamus attingere. Alia autem hæc semita non erit, quam illa, qualem nobis recta ratio est ostensura,

§. III.

Ea autem est legum conditarum, seu juris positivi ratio, ut partim complectatur præcepta naturalia aut absolute aut saltem hypothetice talia, quæ sociari, cui data sunt, necessario & induulse adhærent; partim vero continent præcepta penitus arbitraria, a libero legislatoris arbitrio dependentia. Prioris generis præcepta quod attinet, ea utique a principiis jurisprudentiae naturalis lumen suum mutuare debent; Quomodo enim, qui artem justi & æqui non habet, illico justitiam hujusmodi legis poterit perspicere? Quomodo si sententia legis dubia est, absque erroris periculo, veram legislatoris mentem valebit quis cognoscere? sane iis aquam sapius hæres, necesse est, qui scientia juris naturalis non debite imbuti, legibus hisce dubiis interpretandis dant operam. Agnovit istud JCTUS CELSUS L. 91. §. 3. D. de V. O. scribens: *in questionibus de bono & aequo plerumque sub auctoritate juris scientiae perniciose erratur.*

Dubium utique circa leges tum civiles, tum ecclesiasticas esse potest, an juris naturalis præcepta continant, consequenter immutabiles, & indispensabiles sint, nec ne. Exemplo sint leges de immunitate ecclesiastica, de quibusdam matrimonii impedimentis, de usuris &c. quæ absque dubio ex principiis juris naturalis decidi debent.

§. IV.

§ IV.

Ubi vero arbitria occurunt juris positivi præcepta, ibi magis adhuc necessaria est juris nat. scientia. Ex arbitriis etenim aliqua sepe sunt, qui dum pro quibusdam rerum adjunctis, bono communis convenientia esse censentur & utilia, pro aliis circumstantiis, talia esse desinunt. Pleraque autem leges arbitriae & contingentes certas duntaxat locorum, aut personarum, aut temporis circumstantias respiciunt. Ibi præsto igitur sit jurisprudentia naturalis, necesse est, qua interpretari doceat, legem ad eas tantum rerum circumstantias extendere, pro quibus ea est prudenter statuta. Jurium historia Jurisconsulto hac in parte subsidio esse debet, ut noscat adjuncta illa, pro quibus leges aliquando sunt latæ.

§. V.

Inter præcepta arbitria quædam etiam interdum reperiuntur, quæ ratione penitus adversa sunt. Huc referri potest illud, quod scribit ULPIANUS L. 9. §. 7. D. de pecul. licere servis naturaliter in suum corpus servire. Et quod jubet Novella 89. Cap. ult. Liberis ex incestu proereatis etiam alimenta justæ denegari. Huc pertinent & leges injustæ, quæ bona naufragorum fisco addicunt. Hæ & alia hujusmodi leges, quæ præcepta a ratione aliena continent, ad principia juris naturæ revocandæ sunt & corrigendæ.

§. VI.

Tres interpretationis species communiter notæ sunt, scilicet extensiva, restrictiva, declarativa. Extensiva illa dicitur, quæ latius extenditur lex, quam sunt verba legis; interpretatio verbi legis angustior, restrictiva; illa demum, quæ neque angustior, neque latior verbi legis est, declarativa dicitur. Ambiguum autem quandoque esse potest, & sepe est, quænam interpretationis species sit adhibenda. Tum denique ad indubitate juris naturalis principia recurrentum est, ex quibus manifestum redditur, quænam ejusdem species, materia tamen & ratione legis prius perspectis, ponderatisque aliis extrinsecis circumstantiis, legi dubia applicari debeant. Sic lex vetans homicidium, ad eum casum, docente ratione, non extenditur, in quo quis sui defensionis ergo, alterum occidit. Lex vetans exportari frumenta, farinam utique etiam includit, quia eadem noscitur esse legis ratio. Itaque prior lex adimit interpretacionem restrictivam, posterior extensivam.

C

§. VII.

§. VII.

Unde & pater, quid judicandum de illa communiter adoptata interpretationis regula: *odia restringenda, favores ampliandi.* Cum enim raro patet, quid odiosum, quid favorable sit: hinc pater regulam istam esse prorsus inuisilem, saepius falsam, eo quod quondam oporteat penas extenderet, & premia restringere; interdum etiam periculosam, eo quod occasionem possit praebere, vincula legum relaxandi. Idem esto judicium de aliis hujuscemodi juris regulis, uti sequentes: *In dubiis benigniora sunt praeferranda.* L. 56. de reg. J. in obscuris, quod minimum est sequimur. L. 90. D. eod. in pari causa possessor potior haberi debet. L. 128. D. de reg. J. Quas omnes leges non in earundem relaxationem, sed potius custodiā, habita semper ratione ad finem legis ejusque alias circumstantias, interpretari oportet.

§. VIII.

In omni demum interpretatione, recta ratione suggestente, ea viderunt esse tenenda regula: *Ut non ita attendatur ad verba legis, quam legis Spiritum, & legislatoris mentem.* Non enim mens verbis, sed verba inserviunt menti. Nam quia cajus nee praevideri omnes possunt, inquit GROTIUS L. II. C. XVII. §. 26. de J. b. & p. ideo libertate quadam opus est, eximendi cajus, quos, qui locutus est, si adesset eximeret, non tamen temere, sed ex sufficientibus indiciis. Consonat Clar. DE MARTINI Posit. J. nat. Posit. 612. his verbis: Itaque aequitas semper pra oculis habetur, & id, quod diceret, qui est locutus, si praesens esset, vel cognita ei fuissent, que nunc palam sunt.

POSITIONES EX JURE NATURALI.

- I. Existunt leges naturales, suntque haec perspicuae, necessariae, immutabiles, aeternae, universales, habentes intrinsecam moralitatem.
- II. Leges istae etiam Atheo plane incognita esse nequeunt.
- III. Universum Jus naturale triplici officiorum genere absolvitur, scilicet *amore erga Deum, erga se ipsum, erga proximum.* Potest etiam omnium Officiorum complexus in solo amore sui statui.

IV.

- IV. Non indiscrete procedunt, qui officia erga alios homines solum perfecta ad jus naturale referunt, ceteris exclusi. Non igitur impium est officium socialitatis, quod PUFFENDORFIUS aliquis pro principio fundamentali juris naturae statuunt.
- V. Ad officia, quæ ex amore erga Deum sunt, pertinent Reverentia, gratitudo, Cultus in- & externus, Religio, obedientia & obsequium.
- VI. Officia Deo debita ceteris omnibus officiis in collisione praponderant.
- VII. Officia erga se ipsum hac continentur propositione: *Conserua & perfice te ipsum.* Cuivis igitur incumbit obligatio perficiendi statum suum animæ, corporis ac bonorum extenorum.
- VIII. Officiis igitur erga se ipsum adversum est, culturam Virium animæ negligere, sanitatem corporis ingluvie aut interperantia, immoderatis pariter Jejunii aut Vigiliis perdere, vitæ periculo se temere exponere, atque violentas manus sibi ipsi inferre.
- IX. Ab officiis hisce non minus alienum est, bona temporalia, ubi juste haberi possunt, contemnere, falso tamen semper ad finem altiore rem respectu. Rebus suis abuti, iisdem pariter officiis repugnat.
- X. Licitum est, eadem bona occisione etiam injusus aggressoris tueri, ubi altera ea nequeunt conservari. Eadem de aggressore pudicitia esto sententia. Occidere tamen calumniatorem ad famam defendendam, nefas foret.
- XI. Ex officiis charitatis erga alios obligamus, diligere proximum, etiam inimicum, sicuti se ipsum, nemo tamen alterum sibi ipsi præferre debet, ubi cetera sunt paria.
- XII. Officia iustitiae erga alios, nos jubent, *neminem lacerare, & Jus suum cuique tribuere.*
- XIII. Iustitiae non repugnat, in extrema necessitate, alteri auferre res nobis necessarias, & alteri tantum utiles. Si par sit uniusque necessitas, possessor potior haberi debet.
- XIV. Origine sua res omnes sunt nullius, seu in communione negativa, à qua nemo poterat absque injuria excludi. Cuivis autem competit Jus, res nullius seu vacuas occupandi, & in usus suos convertendi, porro de illis disponendi pro suo arbitrio, in quo consistit *rerum Dominium.*
- XV. Materiam occupationis non constituant res, quæ non sunt nullius, uti homines, & quæ in eo sunt statu, ut quis habeat jus eas occupandi cum ceterum exclusione, quales sunt pisces in parte fluminis occupata.
- XVI. Convenit Domino jus, alios omnes à re sua excludendi, amissam à detentore repetendi & vindicandi.

XVII.

- XVII. Accessio omnis, quæ provenit ex re nostra, pariter est nostra; se-
cūs foret, si proveniat ex re alterius. Non igitur in omni sensu ve-
rum est illud axioma: *accessorium sequitur principale.*
- XVIII. Omne pactum validum parit obligationem iustitiae, id adimplendi,
quod pacto est promissum. Promissio autem necdum acceptata, absque
injuria revocari potest.
- XIX. Irrita est omnis promissio rei de se illicite & turpis. Unde nec te-
nent pacta sub conditione turpi inita, qui tamen rem promissam præsti-
tit, repetere eam nequit.
- XX. Pacta multiplicis sunt generis. Notabilis eorum divisio est in *Bene-*
fica & *onerosa*. Ad benefica referuntur *donatio stricte talis, mutuum,*
commodatum, peccarium, depositum, mandatum, quorum notiones &
requisita deditus.
- XXI. Res commodata, quæ casu perit, perit commodanti. Neque com-
modatarius tenetur ante tempus rem commodatam ex iustitia restituere,
si ea indigeat commoddans, licet ratio æquitatis aliud sepe suadeat.
- XXII. Contractus permutteriorum ex mutua necessitate & commoditate orti
sunt. Quare res, quæ permutterantur, Pretium aliquod habeant, necesse est.
- XXIII. Id præcipue in republica curandum, ut res civibus penitus neces-
sariae, & demum utiles viliori pretio possint comparari, quam voluptuarie.
- XXIV. Contractus fœnebris generatim juri naturæ non repugnat.
- XXV. Tam diu mediis violentis jus suum persequi non licet, quam diu
supersunt media mitiora. Neque igitur bellum alia ratione est licitum,
quam si lesio aliter nequeat averti.
- XXVI. Non licet hosti majus adferre malum in bello, quam necesse est
ad læsionem avertendam.
- XXVII. Bellum suscipere Religionis dilatandæ causa, nunquam est licitum.
- XXVIII. Privatorum non est judicare de belli iustitia, sed hanc possunt
supponere.
- XXIX. Cives à Magistratu cogi possunt ad militiam sectandam, non exteri.
- XXX. Duellum privata autoritate susceptum, in nullo casu est licitum.

O. A. M. D. G.

ULB Halle
006 389 805

3



vd18




Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-661712-p0024-3

DFG

B.I.G.

Farbkarte #13



DISSE R TAT I O
DE
USU JURISPRUDENTIÆ NATURALIS
NECESSARIO
IN JURE POSITIVO.

QUAM

UNA CUM POSITIONIBUS EX JURE NATURE DEPROMPTIS
IN AULA MAJORI ACADEMÆ ELECTORALIS
MAXIMILIANÆ BONNENSIS

PUBLICÆ DISQUISITIONI

SUBMITTIT

FRANC. JAC. DE BREUNING, MERGENTHEIMENSIS

Juris Naturæ Auditor

ANNO DOMINI MDCCCLXXXIII.

DIE 4TA SEPTEMBRIS.

BONNAE, EX TYPOGRAPHIA ELECT. ACADEM. APUD JOAN. FRID. ABSHOVEN.